

16. Satanâs hominibus anxius, propter peccata, Evangelii promissiones subducere nititur. Tanto diligentius nos, quoad possumus, familiares illas nobis reddamus, & universalitatem illarum firmiter retineamus: ut cum hora mala venerit, resistere insulibus hostis possimus.
17. Prægustus damnationis Viatoribus contingit. Sed si in via tanta amaritudo & gravitas angoris est: ipsius damnationis quanta acerbitas & miseria futura erit!
18. Occupat prægustus damnationis Intellectum hominum; Deum iratum exhibendo. Mox ergo mens pœnitentis ab hoc spectaculo convertatur ad Deum, in Evangelio revelatum, ut benignum, & salutis nostræ sitientem.
19. Afficit voluntatem prægustus damnationis dolore insigni. Atque ita, qui volentes peccant, nolentes mala se laturos cogitent.
20. Deprimit atque angit Deus Voluntatem suorum, immittendo hoc genus adversitatis. Cogitetur autem, quod Deus *cor contritum & humiliatum non despiciat*. Juxta *Psal. LI, 19.*
21. Sed & Sensitiva facultas in perceptionem hujus mali venit. Scilicet, ubi peccatum crebro concipitur, ibi gustum pœnarum percipi, congruum est: quem si declinare velis, appetitum ipsum mox coërce.
22. Corpus nonnunquam in hoc statu compatitur animæ. Caveamus, ne corpora nostra, quæ templa Spiritus. S. esse debent, profanemus, & afflictioni illorum causam præbeamus ipsi.
23. Prægustus damnationis etiam in homines Fideles & hæredes salutis cadit. Nostrum est, qui exempla talium afflictorum videmus, abstinere a temerariis Judiciis de afflictis aliis, & *condemnatione proximi, ne condemnemur ipsi*. *Luca VI, 37.*
24. Fideles & Justi experiuntur gustum damnationis, propter peccatum in ipsis reliquum. *Quod si justus vix salvatur, impius & peccator ubi manebunt?* dicente Petro, *I. Ep. IV, 18.*
25. Finis, quem Deus circa prægustum damnationis intendit, est hominum conversio aut renovatio. Qui cum talibus conversant in primis ministri Ecclesiæ, dent operam, ut sua informatione & consolatione viam parent Domino, quo eveniat, quod Deus desiderat & expectat.
26. Omnes autem sive qui prægustarunt ipsi damnationem, sive qui aliorum in hoc statu versantium luctam viderunt, sapientiam, justitiam & bonitatem Dei celebrent, ut humanæ infirmitatis memoria fervetur & exhibeatur.

SOLI DEO GLORIA

coll. ob 50. H. 2143 7